Realgymnasium zu Harburg.

Jahres-Bericht

für

das Schuljahr von Ostern 1883 bis Ostern 1884.


Inhalt:

1884. Progr. Nr. 300.

Harburg.

Druck der G. Lühmann'schen Buchdruckerei.

1884.





Horatius sitne imitatus Menippum.

Romanos in artibus litterisque non illos quidem quasi serviles aut inscitos, sed tamen fuisse imitatores Graecorum universos — id quod ipse concedit Horatius his versibus (Ep. II. 1. 156 s.):

„Graecia capta ferum victorem cepit et artes Intulit agresti Latio" —

cum a nullo negatur tum et ipse ille poeta neque id ullo modo celans et magnam ea re laudem adeptus semperque adepturus Graecis vestigiis ingressus est. Sed si Horatium Graecorum aemulum nominamus, Odas potissimum ejus atque Epodos cogitamus; in carminibus ejus reliquis, maxime in Sermonibus sive Saturis, exceptis talibus locis, quales justae imitationis esse non videantur, aut nullius eum exemplum secutum esse aut non Graecorum, sed ipsorum cujusdam Romanorum veluti Lucilii solemus judicare. Jam vero recentiores quidam, quidnam Horatio saturarum potissimum scriptori cum Graecis commune sit, accuratius exquirendum aggressi Horatium hoc quoque in carminum genere vestigia persecutum esse Graeci cujusdam, Menippi, voluerunt. Menippum Cynicum fuisse „librosque multae irrisionis plenos" scripsisse Diog. Laert. VI 99 memoriae prodit, Strabo XVI 2, 29 σπουδογέλοιον eum dicit; praeterea et alii quidam veteres mentionem ejus faciunt et aliquid de eo discere possumus ex M. Varrone, qui saturas scripsit Menippeas, et ex Luciano, cujus in libris saepe ille varieque commemoratur. De aetate ejus quamvis viri docti inter se dissentiant, illud haudquaquam discrepat Horatio eum fuisse superiorem. Ceterum de Menippi et temporibus et scriptis plura a nobis infra dicentur. Nunc si quaerimus, qui viri hanc rem et quomodo adhuc tractarint vel attigerint, Wielandius, quum quosdam locos Luciani, quem edidit translatum in linguam vernaculam, simillimos Horatianis quibusdam locis diceret (Lucian. I p. 75, II p. 22), quamquam potuisse fieri rato, ut Lucianus ipse ex Horatio hauriret, Menippi ei in mentem non veniebat, primus tamen totam rem commovit atque excitavit. Multo post eum de satiricis quos vocat Graecorum scriptoribus maximeque de Menippi vita et scriptis F. V. Fritzschius disputavit in quinque Indicibus lectionum Univers. Rostock. annorum 1863—1867; nonnulla etiam huc pertinentia ab eodem in Prolegomenis ad Lucianum ab eo editum (vol. II) afferuntur. Certam deinde ac definitam quaestionem, num Horatius Menippum secutus sit, Theod. Fritzschius (Menipp und Horaz. Ein Beitrag zur Geschichte der Satire. Güstrow 1871) et Ad. Theod. Hermann Fritzschius (in editione sua Horatii sermonum. Lipsiae 1875) proposuerunt, quorum ille factam ab Horatio Menippi imitationem satis firmiter obtinuit. Quamquam illius Theod. Fritzschii libelli censura, quam C. (arolus) W. (achsmuthius) in Ind. Philol. IV p. 196 — 199 edidit, ipso suo initio omnes rationes, quibus illa sententia contineatur, nihil esse dicit nisi conjecturas nimia arte quaesitas certoque carentes fundamento; ad quae Theod. Fritzschius respondit in Philologo p. 744—748 paucissima argumentorum suorum relinquens, cetera defendens. Eadem fere atque hujus viri sententia est Herm. Fritzschii, qui tamen et pluribus utitur argumentis et cautius id quod vult disputat. His praemissis nunc in eandem rem, imitatusne sit Horatius Menippum, inquiratur.

Ac primum quidem hoc disceptandum videtur, num potuerit fieri, ut Horatius Menippum imitaretur. Neque enim desunt eae causae, ex quibus potuisse id fieri probabiliter aliquo modo

queat negari. Quarum causarum prima haec est, quod plurimi et veteres et recentiores, quamvis in ceteris plerisque imitatores esse Graecorum Romanos concedant, unum saturarum genus Romanorum totum proprium esse fortissime defendunt, ita ut Horatium, quod genus Romanorum proprium sit, in quo ille ipse maxime excellat, in eo alienis institisse vestigiis absurdum videri censeant dicere. Quae quidem res nisi ex historia saturae Romanae dijudicari videtur non posse. Itaque si eam breviter percurrimus, neque prisca illa satura quae vocatur dramatica, quae similis erat Fescenninis, Mimis, Atellanis, neque ea, quam scripserunt Ennius et fortasse Pacuvius, eadem erat, quam nunc dicimus saturam. Sed quibus carminibus res moresque hominum qualia esse solent cum praeclara quadam atque eximia perfectae virtutis specie poetae menti insidente comparata vel serio sermone vel jocoso describuntur atque exagitantur — quae ipsa saturae est natura secundum Schillerum nostrum (cfr. commentationem ejus „Ueber naive und sentimentalische Dichtung") — ea primus Lucilius scripsit, quem multi inprimis Horatius, Persius, Juvenalis secuti sunt. Unde non statim efficitur recte omni numero Quintilianum judicasse, quum diceret „Satura quidem tota nostra est" (X 1, 93). Sed fortasse ipse Horatius idem quod ille sensit: is enim Sat. I 10, 66 loquitur de „rudis et Graecis intacti carminis auctore." Sed tamen hoc loco neque Ennius (quem Casaubonus de sat. Rom. p. 255 et multi cum eo posteriores voluerunt) neque Lucilius intellegendus est (ut Schol. Cruqu. alii maximeque C. F. Hermannus in disput. de satir. Rom. auctore. Marburg. 1841), sed Saturniorum versuum auctores Livio Andronico aetate superiores ab Horatio spectari major virorum doctorum recentioris temporis pars consentit, ita ut verbis quae apud Horatium l. l. sequuntur „quemque poetarum seniorum turba" poetae prisci velut Livius Andronicus, Ennius, ceteri illis veterrimis adjiciantur universi. Quintiliani autem illud, si aut ullo in carminum apud Graecos genere saturae quidquam simile inesse aut Romanorum ullum saturarum scriptorem quidquam a Graecis sumpsisse vult negare, non esse rectum satis apparet. Nam primum, quoniam inter saturam i. e. absolutum in se salsum quoddam carmen suisque finibus circumscriptum et eas aliorum carminum ceterorumque operum scriptorum partes, quibus res et homines quippe qui longe absint ab summo virtutis perfectae cumulataeque fastigio vel irrideantur vel perstringantur, diligenter distinguendum est (id quod inprimis C. L. Rothius de saturae natura, Norimbergae 1843 dilucide demonstravit) in scriptis Graecorum maximeque in comoedia antiqua quae vocatur aliquot loci, qui prope ad similitudinem saturae accedant, inveniuntur. Deinde ipse Horatius „a comoediae priscae viris omnem pendere Lucilium" dicit (Sat. I 4, 6). Si vero ab eodem Horatio Lucilius saturae praedicatur inventor (Sat. I 10, 48. cfr. II 1, 62 s.), ea ipsa re ad recte hoc adducimur discernendum. Namque Graeci salsa quaedam et tamquam risu verum docentia aliorum generum carminibus scriptisve immiscuerunt quidem, Romani in iisque primus Lucilius carmina, quae sola illa vel prima spectabant, composuerunt. Quare quum propria sit Romanorum quodammodo satura, tamen fieri potuisse, ut Horatius in saturis quoque scribendis ex fontibus quaedam Graecis hauriret, prorsus negandum non est.

At quaerat quispiam, quidnam causae sit, cur in omnibus libris Horatii neque Menippi ipsius neque, quem imitatorem illius constat fuisse, Varronis mentio unquam fiat. Sed Horatius, quamvis neutrum commemoret, tamen, si id certis quibusdam ex causis fecit, utrumque haud ignorasse eosque vel unum alterumve secutus esse sine controversia potest. Cujus quidem generis causas ei fuisse partim Theod. Fritzschius partim Herm. Fritzschius probare conati sunt. Nam quum neque Menippus scriptis suis publicas res tractasset neque ipse Horatius (de qua re plura infra), si is aut ipsum Menippum aut Varronem imitatorem ejus commemorasset, futurum fuisse, ut, quantum interesset inter suas saturas et Lucilianas liberrime de rebus publicis locutas, satis aperte monstrans et sibi ipsi et Varroni pro temporibus, quae tum essent, aliquantum negotii facesseret. Ceterum illo argumento Theod. Fritzschius solus utitur: consentit cum eo Herm. Fritzschius in altero hoc argumento. Romae enim tum qua varia ratione artium litterarumque studia exercerentur, Bergkius in Comm. de rell. com. Att. ant. p. 147 his verbis docet: „Erant enim sane tunc Romae duae quasi poetarum familiae, quarum una Graecas litteras unice admira-

batur et aemulabatur, altera nihil nisi antiquorum Romanorum opera probabat.“ Varronem igitur (sic enim jam Fr. Ritschelius in Mus. Rhen. VI p. 493, quem Theod. et Herm. Fritzschii sequuntur), quem vel ex iis fuisse, qui antiqua longe praeferebant parumque ornatum elegantiamque sermonis curabant, vel, ut Theod. Fritzschius mavult, medium quendam locum inter duas illas quasi familias tenuisse satis constat, Horatius, si diserte appellasset, facere non potuit, quin, quotienscunque nimios illos antiquitatis amatores perstringeret (id quod maxime facit Epist. II 1), Varronem et ipsum non sine aliqua irrisione dimitteret. Quod ne faceret, pietate quadam Varronis, in quo quanta esset et doctrina et vera virtus Romana penitus intellegeret, impeditus videtur esse. Neque tamen prorsus nullam M. Varronis rationem illum habuisse ex Sat. I 10, 47 effici videtur. Quo loco Horatius de iis verba faciens, qui ante se ipsum idque pejus se ipso saturas scripserint, M. Varronem Reatinum omittit, P. Varronem Atacinum nominat ipso addito in pedibus hexametri extremis illo cognomine. Qua quidem Noster ipsa alterius Varronis nominandi ratione significare leviter alterum quam nominare videtur maluisse. Quamquam Herm. Fritzschii opinioni dicentis saturarum M. Varronis Reatini Menippearum quoque hoc loco Horatium meminisse illud, quod Fr. Ritschelius vult, „quattuor illos libros saturarum“, quos eundem Varronem scripsisse in catalogo Hieronymiano (cfr. Mus. Rhen. VI p. 485 ss.) proditur, intellexisse eum videtur praeferendum. Haec quae dicta sunt quamquam cur Horatius de Varrone et Menippo siluerit, probare quodammodo possunt, illud mirum est, quod etiam eo ille loco, quo ultro se Menippi nominandi occasio obtulisse ei videatur, tacuerit. Etenim quod Horatius Epist. II 2, 60 saturas suas his verbis describit „Bioneis sermonibus et sale nigro“, quaerendum est, cur quod ipsum per metrum liceret illud „Menippeis“ sermonibus non scripserit. Theod. Fritzschius et jam F. V. Fritzschius (Prolegg. in Lucian. § 7) haec respondent: Horatius quum saturas suas Bioneos sermones diceret itaque se ipsum Bioni (de quo infra) componeret, inimicis suis, quos plurimos constat eum habuisse, quoniam Bion et regis optimi, Antigoni, usus esset familiaritate et ipse magni vir ingenii fuisset, quominus Bion quasi alter ipse appellaretur, neutiquam sese recusare ostendere voluit. Illi enim Nostrum non solum quod humili loco natus esset, verum etiam quod ea ipsa re aliquoties quodammodo superbiret ei objicientes comparabant cum Bione. Nempe patrem Horatii salsamentarium fuisse, qui cubito sese emungeret, dictitasse maligne illos ex verbis Suetonii elucet, qui in vita Hor. scribit: patre . . . . auctionum coactore, ut vero creditum est, salsamentario, quum illi quidam in altercatione exprobrasset: „quotiens ego vide patrem tuum cubito emungentem?“ Simili autem modo Bion apud Diogenem Laertium IV 7, 46 de se loquitur: *ἐμοὶ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος* addente ipso Diogene Laertio *διεδήλου δὲ τὸν ταριχέμπορον.* — Quae quidem argumentatio neque non illa, qua Horatium mentionem Menippi aut Varronis de industria non fecisse Theod. et Herm. Fritzschii secuti Ritschelium efficere student, nec satis firma videtur nec rursus illud fieri potuisse, ut Horatius Menippum aut imitaretur aut certe cognosset, ob solum illud silentium prorsus negandum est.

Sed tertia causa est, cur tamen hoc negandum cuipiam videatur. Menippum enim in libris suis versibus solutam orationem miscuisse praeter ipsa et Varronis et Luciani, quorum uterque quiddam, quantumcunque est, cum illo commune habet, exempla duobus probatur apud veteres testimoniis, uno ipsius Luciani, qui Bis accus. c. 33 Dialogum sic loquentem facit: *οὔτε πεζός εἰμι οὔτ᾽ ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα, ἀλλὰ ἱπποκενταύρου δίκην σύνθετόν τι καὶ ξένον φάσμα τοῖς ἀκούουσι δοκῶ,* altero Valerii Probi qui dicitur Vergili commentatoris, cujus ad Verg. ecl. VI 31 p. 14, 19 Keil. haec sunt verba: „Varro qui sit [est. et] Menippeus non a magistro cujus aetas longe praecesserat nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat.“ Contra ab Horatio non nisi versus atque ii hexametri, quibus jam Lucilius usus erat prope solis, in iis, quae huc spectant, carminibus usurpati sunt. Sed tamen in tanta orationis diversitate sententias quasdam aut verba ut Horatius de Menippo sumeret fieri sine dubio potuisse Theod. Fritzschius recte statuit.

Jam vero id quod primum quaesivimus, num potuerit Horatius Menippum imitari, nisi hic ipse quae et qualia scripserit, accuratius perpenderimus, non poterit dijudicari. Qua in re

primum hoc tenendum est, quod supra diximus, et Varroni et Luciano rationem quandam cum Menippo haud dubie intercedere. Etenim Varronem ipsum saturas suas appellasse Menippeas Gellius II 186 s. docet, eundem Menippi secutum esse vestigia Cicero Acad. post. I 2. 8 testis est. Quapropter ipse Varro Menippeus vocatur non solum illo quem modo rettulimus Valerii Probi loco, sed etiam aliis non paucis: Charis. p. 118. Diom. p. 371. Symm auct. epp. 2. Arnob. VI 23. Eutych. p. 2169 P. 175 L. Athen. IV p. 160 C. Qua quidem voce hoc significari Menippi more Varronem saturas scripsisse cum Herm. Fritzschio, qui p. 24 à la Ménippe interpretatur, statui potest. Lucianus autem in Necyomantia, quam vulgo illius nomini addictam adversus Wielandium (Lucian. II p. 357 s.) et Fr. Jacobsium (append. ad Porsoni advers. p. 288) praeter Prellerum (Pauly Encycl. real. IV p. 1175) maxime F. V. Fritzschius (spec. II anni 1865 quod est „de necyomantia dialogo Luciani genuino") re vera Luciani esse satis probabiliter contendit, Menippi (de cujus scriptis plura in iis quae sequuntur) Necyiam exemplar sibi proposuit: sic enim Casaubonus (de satyr. poes. p. 206), C. Wachsmuthius (Tim. Phlias. p. 16), F. V. Fritzschius (spec. IV. ann. 1866) recte videntur statuisse. Praeterea mentionem Menippi Lucianus multis injicit locis, veluti saepe in ipsa Necyomantia et Icaromenippo, deinde eo quem supra commemoravimus loco Bis accus. 33, quo simul ex loco Lucianum Menippi vestigiis iterum ac saepius institisse efficitur, Dial. mort. I 2; XX. Atqui et Varronis saturae Menippeae (de quibus diligenter exposuit Riesius in Prolegg. ad rell. sat. Menipp. Varr. ea parte quae inscribitur „de Menippearum indole" p. 20—30) et dialogi Luciani in eo saturae versantur genere, quod jocosum dici potest. Itaque ea re ipsa ad hanc sententiam adducimur, Menippum et ipsum saturam quandam jocosam scripsisse: quae quidem sententia aliis praeterea confirmatur argumentis. Neque enim, quoniam Cynicorum erat seria jocis miscere (qua de re F. V. Fritzschius spec. IV. locos de *Κυνικῷ τρόπῳ* qui dicitur afferens tres: Pseudodemetr. de elocut. c. 170, c. 259, c. 261). Menippum Cynicum teste Diogene Laertio VI 99 fuisse parvi refert. Eodem Diogenis Laert. loco de Menippo legimus: *φέρει μὲν οὖν σπουδαῖον οὐδέν· τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει.* Deinde, ut supra dictum est, Strabo XVI 2. 29, eum *σπουδογέλοιον* vocat atque Marcus Antoninus De rebus suis VI, 47 in iis numerat, quos describit *τῆς ἐπικήρου καὶ ἐφημέρου τῶν ἀνθρώπων ζωῆς χλευαστάς.* Apud Lucianum autem, ad quodnam scriptorum genus Menippus sit referendus, satis certo suspicari nobis licet ex hisce potissimum locis: Dial. mort. I. 1 *Εὕροις δ' ἂν αὐτὸν* (sc. *τὸν Μένιππον*) . . . . *τῶν ἐριζόντων πρὸς ἀλλήλους φιλοσόφων καταγελῶντα.* § 2 *Γελᾷ δ' ἀεὶ καὶ τὰ πολλὰ τοὺς ἀλαζόνας τούτους φιλοσόφους ἐπισκώπτει.* Necyom. 21 . . . . *τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος θηράσῃ, ὅπως τὸ παρὸν εὖ θέμενος παραδράμῃς γελῶν τὰ πολλὰ καὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδακώς.* Ergo, ut ad Horatium redeamus, quum hujus quoque satura jocoso maximam partem genere contineatur (de quo ipse potissimum Sat. I 1. 24 ss. I 10. 14 s.), similiter quodammodo, quas uterque res scriberet, tractasse eos concedendum erit. Neque ita mirum est scripta Menippi ad saturarum similitudinem quandam prope accessisse, quum non deessent, qui antea jam quasi viam eam aperuissent. Quo in numero duos potissimum Theod. et Herm. Fritzschii non sine aliqua veritatis specie habent, Bionem Borysthenitem et Timonem Phliasium. Bionem, qui anno a. Chr. n. circiter trecentesimo floruit, Diogenes Laert. IV 7. 52 tradit cum in philosophos varie invectum esse tum „philosophiam veste florida primum induisse" (*πρῶτος τὴν φιλοσοφίαν ἀνθινὰ ἐνέδυσεν*): quibus quidem verbis Theod. Fritzschius recte videtur intellexisse illud spectari in scriptis Bioneis et versibus solutam orationem et seria jocis mixta fuisse. Silli autem, quorum Timon Phliasius, Bionis fere aequalis, auctor fuit (Diog. Laert. IX 12, 111), etsi cum saturis aliquantum discrepant, tamen ad ea, quae scripsit Menippus, tanquam transitum facere potuerunt.

Sed quid intersit inter Horatium et Menippum et quid commune fortasse iis sit, ut accuratius perspiciatur, non solum ea qua scripserint ratio, sed etiam ipsae quas tractarint res comparandae sunt. Quare de scriptis Menippi, quorum unum, Necyiam, supra breviter attigimus, quid apud veteres inveniatur, exponendum est. Tredecim Menippi libros fuisse Diogenes Laert. VI 101 memoriae prodit, quorum titulos quinque vel sex affert: 1. *Νέκυιαν.* 2. *Διαθήκας.* 3. *Ἐπιστολὰς*

κεκομψευμένας ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου. 4. *Πρὸς τοὺς φυσικούς.* 5. *Πρὸς τοὺς μαθηματικοὺς καὶ γραμματικούς* (sic enim Theod. Fritzschius, quae sunt apud Diog. Laert., recte videtur dividere conferens Timonis Phliasii librum *πρὸς τοὺς φυσικοὺς* inscriptum, cujus mentio fit apud Sext. Emp. p. 697). 6. [*Πρὸς*] *γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας* (Illud, quod pro *γονάς* Riesius p. 10. suasit ut scriberetur, *δόξας* sc. *Κυρίας δόξας* Epicuri [Diog. Laert. X. 27] Theod. Fritzschius, quum id quod deesse non debeat *Κυρίας* desideretur, rejiciens hoc quod est *γονάς* comparat *Διὸς* vel *Ἀθηνᾶς γονὰς*, sicut jam F. V. Fritzschius spec. IV). Ac haec accedunt, quae apud Athenaeum commemorantur: 7. *Ἀρκεσίλαος* (XIV p. 664 E). 8. *Συμπόσιον* (XIV p. 629 E). Praeterea etiam tria fortasse Menippi sunt. Apud Suidam enim Menippum quem dicit *κωμικὸν Κέρκωπες δρᾶμα* scripsisse legitur: quas quidem voces *κωμικὸν* et *δρᾶμα* non necessario ad scaenam referendas esse Meinekius Vind. Strab. p. 234 explicat. Itaque sive ille titulus integer est sive adjiciendum est *ἢ Ὄφεις*, ut F. V. Fritzschius spec. V propter Eudoc. Viol. p. 202 mavult, Menippi illud scriptum fuisse certe potest. Deinde *Διογένους Πρᾶσιν* utrum Menippus scripserit an Hermippus, qui est Smyrnaeus Peripateticus (nam loco qui est Diog. Laert. VI 2. 29 alii codices hoc, alii illud nomen exhibent), cum F. V. Fritzschio, qui spec. V accuratius de hac re exponit, in medio videtur relinquendum. Magis etiam dubium hoc est: quum enim et Eustathius ad Homerum p. 1384. 46 fuisse *δρᾶμα*, quod *Δίες* inscriberetur, referat et Tertullianus Apol. c. 14. „Romanum Cynicum Varronem trecentos Joves sive Jupiteres dicendum sine capitibus introduxisse“ dicat, Meinekius Vind. Strab. p. 235 auctorem fuisse illius *δράματος*, quod ne ipsum quidem scaenicum intellegendum esset, Menippum conjectavit, quod item F. V. Fritzschium spec. V secuti nolumus dijudicare. Restant tres ex scriptis Menippi loci ab Athenaeo servati, quorum unus (I p. 32 E *Μένδον ἁλμοπότιν*) cujusnam libri sit, dubium est, alter ex Arcesilao sumptus de „compotatione nonnullorum comissantium“ est, tertio ex Symposio sumpto *ὀρχήσεως* quoddam genus *μανιώδους*, quod vocent *κόσμου ἐκπύρωσιν*, commemoratur. Missis igitur tribus illis, quae sunt *Δίες, Διογένους Πρᾶσις, Κέρκωπες*, quorum de auctoribus dubitatur, itemque praetermisso ex reliquiis eo loco qui est *Μένδον ἁλμοπότιν*, ut quibus ex verbis de rebus saltem, quas Menippus scripsisse videatur, conjectura fieri non possit, ceterorum quos novimus titulorum ex eo qui est *Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι κτλ.*, a Menippo ipsa paganorum numina derisa esse efficitur. Ex reliquis autem titulis reliquiisque de rebus, quas Menippus tractaverit atque illuserit, alia haec possunt conjici. Nam quum Cynicorum esset et philosophiae parti ethicae ea, quae in quaestionibus dialecticis et physicis versarentur, longe posthabere neque ita multum artium litterarumque tribuere studiis (de qua re F. V. Fritzschius spec. IV locum qui est Diog. Laert. VI 103 affert), libris eis, qui inscribebantur *πρὸς τοὺς φυσικοὺς* et *πρὸς τοὺς μαθηματικοὺς καὶ γραμματικούς*, quaestiones illas philosophorum quasi abstrusiores nimiaque quasi illa studia et a vita ipsa homines avocantia illusa esse a Menippo verisimile est. Eo libro qui est *πρὸς γονὰς Ἐπικούρου κτλ.* luxuriam Epicureorum maxime in vigesimis quae vocantur perspicuam acerbis exagitatam esse facetiis F. V. Fritzschius spec. IV conjicit. Ac simili modo quin in reliquis illis scriptis quae sunt *Διαθῆκαι, Ἀρκεσίλαος, Συμπόσιον, Νέκυια* philosophos Menippus multum varieque ludificatus sit, non est quod dubitetur. Idem probatur illis Luciani locis, quos supra commemoravimus (Dial. mort. I 1 et 2), ex quibus Menippum non solum derisorem fuisse, sed etiam derisorem potissimum philosophorum apparet. Sed is sicut philosophos acerbis exagitabat facetiis, ita, quo maxime censeret contineri rem causamque philosophiae, ut ad vitam recte agendam nos instrueret, illud satis praedicabat: huc enim in illo tertio Luciani loco (Necyom. 21) ea quae sunt *τὸ παρὸν εὖ θέμενος* videntur spectare. Quae autem Menippus scripserit, ut quoad ejus fieri potest accurate perspiciatur, Varro et Lucianus rursus sunt comparandi. Varro igitur Stoicos (in satura quae inscribitur Longe fugit II ed. Ries. Marcopol I), Academicos (Sesqu. XXIV), Pythagoreos (Eumenid. XVIII) illudit et universos cavillatur philosophos his potissimum verbis (Eumen. XV):

> „Postremo nemo aegrotus quicquam somniat Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.“

At idem eam quam ipse veram existimat philosophandi rationem non aspernatur (*Περὶ ἐδεσμάτων* II) atque summum bonum in bene ac modice ponit vivendo (Mod. IV, V). (Cfr. A. Riesium eo loco, quem supra laudavimus, „De Menippearum indole" p. 20 — 30). Ab Luciano vero philosophos maxime omnium haberi ludibrio a nullo negatur. Itaque propter illam quam inter Menippum et Varronem atque Lucianum intercedere supra dictum est rationem Menippum scriptis suis haud raro perstrinxisse philosophos Varronis et Luciani satis confirmatur exemplis. Ac simili modo Horatius, quamvis multa alia vitiorum genera perstringat, tamen philosophorum quoque perversitatem cum aliis locis tum his tribus insectatur saturis: I 3, II 3, II 7. Sed non solum rebus, quas tractaverit, Menippus cum Horatio aliqua parte concinit, verum etiam quaedam sunt, quae uterque pariter ex scriptis suis secluserit. Etenim si cum Luciliana Horatii comparamus saturam, illud maxime inter eas interest, quod Lucilius, quidnam de republica sentiret, liberrime proloqui non dubitavit, Horatius non item. Quum vero et Lucianus plane et praeter unum *Τρικάρανον*, quae satura erat de Pompejo, Crasso, Caesare qui vocantur triumviris (Appian. b. c. II 9), Varro de rebus publicis tacuerint, idem de Menippo poterit statuendum. Neque ad eam rem, quibus Menippus fuerit temporibus, certo ac definite circumscribi magni interest. De his enim viri docti inter se dissentiunt: F. V. Fritzschius (spec. IV) fuisse illum anno a. Chr. n. circiter CCLXX. statuit, A. Riesius (p. 7) Oehlerum (M. Ter. Varronis satir. Menipp. rell. Lips. 1844 p. 41 ss.) secutus anno a. Chr. n. CXL., medium quendam locum tenent Theod. et Herm. Fritzschii, qui aliquanto ante annum CXL. floruisse eum censent. Sed tamen sive hanc sive illam sequimur rationem temporis, ea certo aetate Menippus fuit, qua ne apud Graecos quidem de rebus publicis cum libertate scribere jam liceret; quocirca vera videtur F. V. Fritzschii (spec. III) conjectura haec, Menippum ea in re comoediae quam dicunt novae vestigiis institisse. Itaque quoniam et saturae simile quoddam genus Menippum scripsisse et in rebus tractandis aut omittendis commune aliquid cum Horatio constat habere, fieri potuisse, ut Noster illum nonnulla parte sequeretur, negari non poterit. At factum illud re vera esse, nisi ex certis quibusdam Horatianis locis effectum erit, pro explorato non videtur habendum. Et protulerunt ejusmodi locos, quibus Horatium de Menippo in suos quaedam convertisse usus aut certum aut verisimile fierie censerent, et Theod. Fritzschius et multo plures Herm. Fritzschius. Quare nunc ad eos locos transeamus.

Ac primum quidem gravissimum hac in re illud est, quod ipsius scripta Menippi nulla jam extant. Etenim ob id ipsum, si quibusnam locis Horatius eum fortasse secutus sit eruere volumus, ex aliis tantum scriptoribus cognosci id potest, quos quidem pariter atque Horatium de Menippo quaedam repetiisse demonstrandum erit. Sunt autem scriptores in hac quaestione spectandi inprimis L u c i a n u s, deinde V a r r o et M a x i m u s T y r i u s. Quorum ad locos, quotcunque sunt, recte examinandos haec duo tenenda sunt. Si qua in eis similia inveniuntur Horatianis aut verbis aut sententiis, utrum ea ejusmodi sint, ut ex uno eodemque scriptore de industria sumpta necesse sit, an diversi per se scriptores animis ea potuerint deprehendere an proverbii loco illa fuerint an similiter, primum est interrogandum. Deinde ut similibus quibusdam locis ad quendam, quem et Horatius et unus de tribus scriptoribus illis videatur secutus esse, tertium adducamur auctorem, cavendum est, ne hunc ipsum neminem nisi Menippum esse statim opinemur aut, quod majus est, cum Horatium ex ipso sua fortasse repetiisse Varrone tum Maximum Tyrium vel etiam Lucianum ex Horatio obliviscamur. His positis ad singulos jam veniamus locos.

M a x i m i T y r i i duo huc loci referri possunt: ad Horat. Sat. I 1, 41, 42 — M. T. diss. 21, 5 p. 408 Reisk: *ὁ πλοῦτος οὐ καλὸν κτλ.* Sat. I. 1, 4—19 — Diss. 21 p. 396: *χαλεπὸν εὑρεῖν κτλ.* Ex his duobus Maximi locis posteriorem verbis Horatii simillimum esse nemo negabit: sed primum Maximus Tyrius, qui fuit sub finem saeculi post Chr. n. II., ex ipso Horatio sua potest prompsisse, deinde Horatio hoc loco obversatus videtur esse logos Aesopius (sic enim Luc. Muellerus in Prolegg. ed. Horat. 1881).

Sequuntur loci V a r r o n i a n i: Horat. Sat. I 3, 56 — Varron. Sentent. p. 267, 58a. Ries. Sat. I 3, 126 — Sent. p. 271, 152. Sat. II 5, 103 s. — Sent. p. 265, 11. Sat. II 6, 73 s. —

Sent. p. 270, 129. Sat. II 4, 95 — Varr. Sat. Men. p. 171 XIV et XVI Ries. Sat. II 4, 33 — Varr. p. 138. Sat. II 2, 77 – Varr. p. 128 XIX. Sat. II 2, 136 — Varr. p. 137. Sat. II 2, 18 — Varr. p. 236. Sat. II 2, 53 — Varr. p. 176. Sat. II 2, 17 — Varr. p. 171 XVII. Sat. II 2, 75 — Varr. p. 176. Sat. II 3, 197 s. – Varr. p. 127 XVI. Sat. II 3, 82 — Varr. p. 128. Sat. II 3, 121 — Varr. p. 129. Sat. II 6, 71 ss. — Varr. p. 175. Sat. I 6, 109 — Varr. p. 160. Sat. I 3, 124 s. — Varr. p. 156. Sat. I 5, 13 — Varr. p. 161. Sat. I 5, 10 — Varr. p. 161. Sat. I 2, 26 – Varr. p. 166 IV. Od. IV 12, 1 ss. — Varr. p. 241. Epist. I 2, 47 — Varr. p. 103. Missis quattuor primis locis sumptis ex Sententiis quae vocantur Varronis, de quarum auctore dubitatur, cetera, si modo talia sunt ut alterum ex altero transtulisse sua necessario statuendum sit, nihil nisi ipsius Varronis fortasse vestigiis Horatium probant institisse atque Herm. Fritzschius quoque (p. 28) ex his de ea tantum, quae inter Horatium et Varronem intercedere videatur, ratione conjectat. Ceterum et Varronis et Maximi Tyrii loci solo ab Herm. Fritzschio afferuntur, Theod. Fritzschius nullos nisi ex Luciano affert eosque pauciores quam ille.

Sane num apud Lucianum inveniantur, quae Horatianis quibusdam respondeant, longe plurimum interest. Nam quum Lucianum Latine nescisse veri simillimum sit (cujus rei argumenta prope nihil dubii relinquentia profert Herm. Fritzschius p. 30, not.), et Horatium et Lucianum facilius potest conjici ex tertio quodam scriptore eoque fortasse Menippo, si qua communia videantur habere, deprompsisse. Quamquam plurimos hujus generis locos ipse Herm. Fritzschius, sicut attulit, ita alio modo atque mutuatione de industria ex scriptore quodam facta concedit posse explanari. Enumerentur igitur primum ea, quae ipse per se et Horatius et Lucianus invenire potuerit: Horat. Epist. I 6, 37 et Sat. I 1, 62 – Lucian. Nigr. 23. Sat. I 1, 55 — Hermot. 58. Sat. II 2, 71 — Gall. 23. Sat. II 4, 8 — Hermot. 1. Sat. II 8 extr. — Hermot. 86 extr. Sat. II 2, 76 — Epist. Saturn. II 28. Sat. II 6, 91 — Dial. deor. XX 13. Deinde ea, quae proverbii locum obtinuisse et pervagata fuisse in vulgus videantur: Sat. II 5, 83 — Adv. Indoct. 25. Sat. I 1, 95 s. — Navig. 28. 31. Sat. II 1, 64 — Pisc. 32; Fug. 13. Sat. II 2, 99 — Timon. 20. Sat. I 2, 90 s. — Hermot. 20. Sat. I 10, 71 – Rhet. praec. 11. Sat. I 9. 32 — Gall. 9. Epod. XVI, 21 — Hermot. 28. Sat. I 1, 24 — Bis accus. 34. Sat. II 3. 17 – Gall. 10. Sat. I 1, 15 — Navig. 13. Tum ea, quae potissimum poetas epicos tragicos comicos, philosophos, oratores quicumque legerat, in suos poterat usus convertere: Sat. I 1, 76 – Tim. 14. Sat. I 4, 11 — Nigr. 16. Sat. I 6, 78 — Epist. Saturn. III 35. Sat. I 1, 10 – De merc. cond.: *ὑπ' ᾠδὴν ἀλεκτρυόνων*. Sat. II 5, 99 — Nigr. 23. Sat. I 1, 21 s. — Icaromen. 25. Sat. II 6, 20 — Tim. 1. Od. III 16, 9 s. — Gall. 13. Sat. I 1, 106 — Tim. 16. Sat. II 2, 129 s. — Nigr. 26; Char. 17; 20. Epist. II 3, 9 s. — Pro imag. 18; Hermot. 72. Ceterum eorum qui antecedunt locorum tres jam Theod. Fritzschius attulit hos: Sat. II 6, 20. II 5. 83. I 1, 21 s. Ex quibus potissimum tertium vehementer defendit, de quo infra.

Sequuntur ejusmodi loci, quos ad hanc dijudicandam quaestionem plus minus conferre partim solus Herm. Fritzschius partim una cum Theod. Fritzschio statuerit. Atque illi quidem, quos solus Herm. Fritzschius habet, primo loco ponantur: Sat. I 4, 1 — Bis accus. 33; Pisc. 25 Sat. I 7, 1 – Fugit. 20. Sat. I 1, 71 — Tim. 18. Sat. I 8, 28 — Men. 9: *βόθρον δὲ ὠρυξάμεθα κτλ.* Sat. I 8, 34 s. — Men. 9: *εὐθὺς οὖν ἅπαντα ἐκεῖνα ἐσαλεύετο κτλ.* Sat. I 8, 36 — Icarom. 21. Sat. I 8, 33 s. — Men. 9: *ὁ μάγος δᾷδα καιομένην ἔχων κτλ.* Ut cetera mittamus, eorum, quae ex Sat. I 8 deprompta sunt, causa similitudinis, quae est cum illis ex Luciano locis, repeti potest ex re, quam describunt, simillima. — Haec, quae sequuntur, ante Herm. Fritzschium Theod. Fritzschius jam attulerat: Sat. I 3, 80 ss. — Prom. 10. Sat. I 3, 124 s. — Pisc. 35. Vit. auct. 20. Sat. II 5, 69 — Tim. 22 vel, quod Theod. Fritzschius mavult, Dial. mort. IX 3. Sat. II 5, 44 et 25 — Tim. 22: *οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος κτλ.* et *οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ κτλ.* et Dial. mort. VI 5. Hi qui antecedunt quattuor loci et in satis pervulgatis versantur sententiis verbisque neque, si transtulerunt eos Horatius et Lucianus ex alio quodam auctore, hunc ipsum Menippum fuisse ulla re efficitur.

Praeterea de Sat. II 5 huc referenda eaque quodammodo tota Herm. Fritzchius cum Theod. Fritzschio consentit. Sed ad hanc antequam transeamus, illud quod est „Juppiter ambas iratus buccas inflet“ e. q. s. (Sat. I 1, 21 s.), quod Herm. Fritzschium non ita contendere, Theod. Fritzschium mordicus tenere supra diximus, jam tractetur. Qua in re Theod. Fritzschii haec fere est sententia: Verbis quae sunt „buccas inflet“ non iram pingi hoc ipso paene adducimur ut credamus, quod alibi buccas inflare non de ira, sed de superbia ponitur, velut apud Demosth. de falsa leg. p. 442 Reisk. *τὰς γνάθους φυσῶν*. Neque illud ex Arte poetica, v. 94: „iratusque Chremes tumido delitigat ore“ huc est referendum; illic enim dicitur: dum tumidum ejus os est, delitigat; hic: primum buccas inflat, deinde loquitur. Quam ob rem hoc sibi volunt illa verba: non buccas inflans irascitur, sed irascens buccas inflat, videlicet ut vota illa hominum flando quasi depellat sicut est apud Lucianum. — Sed ut mittamus, quod aeque ac de Necyomantia etiam de Icaromenippo, num sit Luciani, addubitatum est (ab Fr. Jacobsio), primum, si apud Horatium vota hominum flando quasi depellerentur, ponendum esse Jovem bis locum suum mutasse, ita ut initio, cum diceret „en ego“, prope homines esset, deinde in Olympo, unde flaret, tum iterum coram hominibus loqueretur, C. Wachsmuthius (in censura quam fecit libelli Theod. Fritzschii, l. c.) recte dixit. Idem hoc monstrat apud Lucianum Jovem *ἀποπέμπειν τὰς ἀνοσίους εὐχὰς ἀποφυσῶντα κάτω* (quod Herm. Fritzschius ad l. simile dicit esse illi voci, quae est *ἀποπτύειν*, velut Eurip. Hec. 1252 *ἀπέπτυσα*). Horatianum autem Jovem vota non depellere spreta, immo dicere: „Jam f a c i a m quod voltis.“ Accedit quod, si modo habent hoc loco commune aliquid, et Horatius et Lucianus picturam aliquam jocosam, velut Ctesilochi (Plin. n. h. XXXV 11, 40) secuti esse possunt (vide F. V. Fritzschium ad Icaromen. c. 25 p. 151). Denique profecto „iratum buccas inflare et dicere“ et illud „iratum tumido ore delitigare“ paene idem est; nam particula quae est neque illa quae sunt verba inflare et dicere artissime conjunguntur, ut eodem utrumque tempore fieri videatur.

Quod restat, Sat. II 5 cum Luciano maximeque cum ejus Necyomantia plurima habere communia Herm. Fritzschius hoc fere modo studet probare: Et Horatium et Lucianum necyomantia uti eumque, quem apud illum Ulixes, apud Lucianum Menippus consulat, Tiresian esse. Praeterea haec singula, dummodo universa spectentur, haud ita levia esse: V. 3 — Men. 21: *ὁ δὲ γελάσας κτλ.* v. 12 — Dial. mort. IX 2: *ἐραστὰς εἶχον μυρίους κτλ.* v. 18: utne tegam . . . latus? — Dial. mort. VI 3: *οἱ δορυφορήσαντες.* v. 18: Damae — Tim. 22: *ἀντὶ τοῦ τέως Πυῤῥίου κτλ.* v. 56 — Dial. mort. VI 6: *τί παθόντες κτλ.* v. 57 — Pisc. 34: *γέλωτα ὀφλισκάνειν.* v. 74 — De mer. cond. 35: *ἦν δὲ ποιητικὸς αὐτὸς κτλ.* v. 26 — Dial. mort. VI 3: *καινήν τινα ταύτην τέχνην κτλ.* — Sed *νέκυιαν* scriptores veteres non semel in suos convertisse usus constat et, si quando id ipsum Horatius quoque et Lucianus fecerant, ubi opus fuit aliquis, quem respondentem inducerent consulentibus, quis alius ille potuit esse nisi Tiresias? Illi autem loci singuli si, quomodo apud Horatium in una eademque satura leguntur, sic in Luciani quoque uno omnes dialogo et eo quidem Menippo sive Necyomantia occurrerent, satis magni haud dubie essent momenti; nunc vero ejus, qui Menippus inscribitur, dialogi unus est, ceteri alii aliis in libris Luciani reperiuntur.

Quae quum ita sint, quamvis potuisse fieri, ut Horatius Menippum et cognitum haberet et imitaretur quibusdam locis, negari omnino nequeat, tamen factum illud plus minus esse his quibus Theod. et Herm. Fritzschii utuntur hujus rei argumentis non satis certo videtur confirmatum.



Schulnachrichten.

A. Die Mitglieder des **Kuratoriums** sind: 1. Herr Bürgermeister Schorcht, Vorsitzender, 2. Herr Generalsuperintendent Schünhoff, Königl. Kompatronats-Kommissarius, 3. Herr Syndicus Denicke, 4. Herr Fabrikdirektor Maret, 5. Direktor Braune.

B. Das **Lehrer-Kollegium** hat während des verflossenen Schuljahres eine Veränderung nicht erfahren, doch sieht es einer solchen am Schluß desselben entgegen. Herr Oberlehrer Dr. Winter, von dem Magistrate zu Quakenbrück zum Direktor des dortigen Realgymnasiums gewählt, hat sich bereit erklärt, dem ehrenvollen Rufe zu folgen, und beabsichtigt, schon zu Ostern sein neues Amt zu übernehmen. Derselbe hat dem Kollegium seit Michaelis 1872 angehört. Fleiß, Treue und Geschick haben seine Lehrthätigkeit ausgezeichnet: sein Scheiden ruft allseitig großes Bedauern hervor. Die besten Glückwünsche geleiten ihn in sein neues Amt; die Liebe seiner Schüler, die Achtung und Freundschaft seiner Kollegen, wie auch weiterer Kreise sichern ihm hier ein bleibendes Andenken.

C. Die **Frequenz** des Realgymnasiums ergiebt sich aus nachstehender Ueberficht:

	I.	IIa. IIb.	O. III.	U. IIIa.	U. IIIb.	IVa.	IVb.	V.	VI.	Sa.
Im Sommer 1883	17	7 34	28	23	22	23	22	44	47	267
Im Winter 1883—84	17	7 28	27	22	22	24	22	43	47	259
davon:										
Evangelische	17	33	26	20	21	24	21	39	41	242
Katholische	—	1	—	—	—	—	—	1	3	5
Israeliten	—	1	1	2	1	—	1	3	3	12
Einheimische	13	27	24	17	21	19	16	37	44	218
Auswärtige	4	8	3	5	1	5	6	6	3	41
Abgang im Laufe des Semesters	—	2	1	—	2	—	1	1	1	8
bleiben	17	7 26	26	22	20	24	21	42	46	251

In der Vorschule befinden sich zur Zeit in Klasse **I:** 41, in **II:** 35, in **III:** 34, zusammen 110 Schüler; davon ist einer Katholik, 6 sind Israeliten, 12 sind Auswärtige.

Wir haben im Sommersemester den Tod eines lieben, hoffnungsvollen Schülers zu beklagen gehabt: am 12. Juli 1883 starb der Schüler der 1. Vorschulklasse, Ernst Brammer, im Alter von 8 Jahren, infolge eines Lungenleidens. Seine Lehrer und Mitschüler haben an dem Schmerze der Eltern aufrichtig Anteil genommen.

D. Der **Unterricht** wird seit Ostern 1883 den Lehrplänen vom 31. März 1882 entsprechend erteilt. Die beiden Jahrgänge der Sekunda, welche bis dahin in sämtlichen Fächern combiniert waren, werden nunmehr in der Mathematik und den Naturwissenschaften getrennt unterrichtet.